

DISSERTATIO SACRA
De
SANCTIONE
FOEDERIS
SINAITICI
PER ILLUSTRAM VISIONEM ET
CONVIVIUM MYSTICUM

ad locum Exod. cap. XXIV. vs. 9. 10. 11.
pro illustr. Sch. civibus, ad S. Eucharistiam in-
vitationis,

Quam

PRAESIDE

RECTORE MAGNIFICO,

GODEFRIDO JUNGST,

SS. Th. Doct. ejusd. Prof. Ord. & Mysteriorum
Divinorum in Aede Ansgar. Interprete

placidæ ventilationi exponet

a. d. Jovis XV. Mart. MDCCVIII. h. l. q. solitis

Georgius Laurentius, Cellensis

St. Theol. Stud.

BREMÆ,

Typis HERMANNI BRAUERI, Illust. Gymn. Typogr.

17.

a. LVIII. 61.

Coll. diss. A
58, 61



*Viro illustri & Excellen-
tissimo*

D. D. de BOUCOEUR,
de Rosemond.

Serenissimo & Potentissimo Electori
Brunovicensi Hannoverano à Consiliis Sanctio-
ribus, ad Serenissimum quondam Hassiæ Land-
gravium Exlegato Splendidissimo &c.

Mecænati & Patrono suo summo,

pro ingentibus in se suosque collatis beneficiis,
in devotissimi animi & immortalis gratitudinis
tesseram,

humillimamque studiorum suorum commendationem,

Hanc Dissertationem sacram

dicat & offert

obsequiosa mente manique

Georgius Laurentius Resp.





Dissertatio Sacra

De

Sanctione Fœderis Sinaitici per illustrem visionem & convivium Myiticum ad Locum Exod. XXIV. v. 9. 10. 11.

BREVIARIUM.

I. Fœderum solemnitas antiqua. II. Quid fœdus? III. Sacrificii ritus. IV. Sanctio fœderis Sinaitici. V. Historia Exod. XXIV. VI. vs. 9. 10. 11. VII. Brevis analysis. VIII. Nexus cum vs. 8. IX. Proceres Primarii vs. 9. X. Sequiores. XI. Propius ad Deum admissi. XII. Videntes Deum vs. 10. XIII. In Symbolo Glorioso. XIV. Ut Deum Israëlis. XV. Dictum Deut. 4: 15. ventilatur. XVI. Indicatur Christi futura incarnatio. XVII. Locus Sapphirinus. XVIII. Lateritius. XIX. Cæli sereni instar. XX. Ejus emblemata. XXI. Extensio manus Dei innuit varia. XXII. Hoc loco quid? XXIII. Epulum diversimode intelligitur. XXIV. Nil tamen Sanguinis sumserunt Proceres. XXV. Cujus diversa sub. V. & N. T. ratio. XXVI. Relatio ad S. Cœnam.

I.



Uandoquidem omni ævo publica inter mortales pangi solita fœdera divini quid in se continere videntur, hinc non sine solemnibus ritibus ea sanciri usu venit nedum initiari: veluti Patriarcharum sæculo multifariam obtinuit; quo facit inter alia exemplum Abrahami & Abimelechi Gen. 21: 22. sq. Hujus & Isaaci c. 26: 29. Conf. Stuck. Lib. I. cap. 30. Antiq. Conviv.

II. Est autem *Fœdus* conventio mutua inter diversas partes, lectis utrinque conditionibus, unde nascitur utrique parti jus in alteram exigendi & expectandi rem, de qua contractum est.

A 2

III. Inrer

III. Inter plura *solemnia*, jam ab antiquissimis temporibus frequentata, fuit in usu penes foederatos, negotium rite tractaturos, praesertim adhibitio sacrificii cum ejus annexis. Macabatur & dissecebatur animal, partes vero contrahentes transibant per frustorum medium, anathemati quasi devovenda, sin sanctae & tenaciter foederi per ipsos satisfiat, vid. Gen. 15:10. Quem morem inter Gentiles quoque fuisse admodum receptum lege, sis, apud Douglæum *Analect. Sac.* p. m. 19. 20. Notabilis locus hanc in rem se offert Ps. 50. 5. *Congregate mihi sanctos meos, qui ierunt fedus, מבי לך* quod non nude sonat *per sacrificium*, sed efficacius, *super sacrificio*, vero illo & unico scil. Christi: Rei Monetariae ruspatores monstrant nummum, plus quam unum, exhibentem duos pluresve paciscentes, mutuas sibi invicem dextras porrigentes, inter se mediam habentes instructam aram; quoinde huic negotio num forsan lucis quidpiam accedat, judicent rerum periti. Nitidissimum talem nummum exhibet *Patinus* in *Numism. Rom. Imper* p. 75. aliam *Joh. Hemelarius* in *Numism. aur. Croy. Tab.* 50. ut & aliam *Ez. Spanh. de praest. Numis.* p. 852.

IV. Scopus noster est, dum Deus Benedictus, per ineffabilem *συγκατάβασις*, gratiae foedus cum homine peccatore, secundum Testamentum suum aeternum, in Filio suo, Angelo illo Foederis, inire decrevit, quinimo solemniter sancire & auspicari, hujus rei documentum quoddam capere e *sancione Foederis Sinitici*, partim *apparitione divina*, partim *mystico epulo consummati*. Historia commemorabilis legitur *Exod.* cap. XXIV. vs. 9 10. 11. Nos nonnulla delibabimus.

V. Rei summa huc redit. Vetus foedus dum inter Deum, e monte Sinai locutum, & populum ad pedem hujus constitutum, Mediatore Mose, parabatur vs. 1. 2. repetebat Moses verba Dei ad populum, qui iteratis vicibus exclamabat; *Omnia verba, quae edixit Jehovah, FACIEMUS.* vs. 3. 7. Circumstantiae negotii tanti momenti erant notabiles. Moses omnes res gestas librolegis inferebat: praeterlapsa nocte (ne videl. populus de non concessio sufficiente deliberationis spatio conquerendi ansam praetendere queat) struebat aram circa montis radicem & unam duodecim columnas vs. 4. Quo facto, per juvenes (Chald. dicunt *Primo-*

Prægenitos) filiorum Israël, offerebat holocausta & eucharistica sacrificia Jehovæ, juvencos. Restabat sanguis, non ultima sacrificiorum portio; ille in duas abit partes, dimidium excipitur crateribus, alterum dimidium effunditur super aram vs. 6. Tum denique solemnibus hisce fœderalibus imponitur colophon, Moses, Dei orator, legit, audiente populo, acceptum librum illum fœderis, populusque vicissim dixit etiam atque etiam, bona verba, sed sine corde; Quicquid edixerit Jehovah, faciemus & auscultabimus. vs. 7. Atque adeo tota res perficitur; immittuntur enim Israëlita in vetus fœdus, populus universim consideratus reliquo sanguinis initiatur, tum re, aspergitur à Mediatore, tum verbis Sacramentalibus: Ecce sanguis fœderis illius, quod Jehovah pepigit vobiscum secundum omnia verba hæc v. 8. sic Proceres interius ad Deum fœderatum videndum admittuntur, scenaq; sacro finitur epulo.

VI. Multa heic essent consideratu tam utilia quam jucunda; materia enim tanta abundat copia, labori faber ut desit, non fabro labor; nobis in præsens placet epulum illud sacrum, quod familiarem Procerum ad Deum gloriose apparentem accessum secutum est. Verba ita habent vs. 9. 10. 11.

ויעל משה ואהרן נדב ואביהוא ושבעים מוקני ישראל :
 ויראו את אלהי ישראל ותחת רגליו כמעשה לבנת הספיר
 וכעצם השמים לטהר :

ואל אצילי בני ישראל לאמלך ירו ויחזו את האלהים ואכלו וישתו :
 quæ Jun. & Tremell. sic reddunt; Deinde ascendit Mose & Aaron, Nadab & Abihu, & septuaginta e Senioribus Israël. Aspexeruntque Deum Israël, & sub pedibus ejus velut opus pavimentum sapphiro; & velut corpus ipsum cœli nitore. Tamen in selectos filiorum Israël non extendit manum suam, sed postquam intuiti essent Deum ipsum comederunt & biberunt.

VII. In his occurrit,

I. visio gloriosa, qua ad Deum propius accedebant populi Proceres. vs. 9. 10.

II. ejusdem effectus vs. 11.

I, ubi A, Personæ, B, Locus. C. Visio cum suis circumstantiis

A 3

A. 1,

A. 1. *Moses & Aaron, Nadab & Abihu, & 2. 70. Seniores.*

B. *Ascenderunt, in montem scil.*

C. ubi a. visio ipsa generalior. 1. *aspexerunt* 2. *Deum Israëlis.*
b. specialior *sub ejus pedibus.* Et quidem rursus bifariam
comparatio instituitur

a velut opus pavimentum sapphiro. b. velut corpus ipsum cæli nitore.

II. ubi a. Quid non factum sit à parte Dei: Tamen a. *in selectos
filiorum Israëlis* b. *non extendit manum suam* β. quid à parte
procerum. Sed N. *postquam intuiti essent Deum ipsum, & come-
derunt et biberunt.*

VIII. Copula 1. necit hæc acta cum præcedentibus, Jun.
& Trem. vertunt *Deinde.* Quum sanguis residuus tinxisset popu-
lum, cujus dimidia pars tinxerat aram. Ara nostra, qua median-
te ad Deum peccatoribus accedere licet, Christus est, suo is san-
guine resperfus reconciliationem coram Deo nostri fecit, nosq;
illo conspersos fœderis Dei reddit participes, bonorumq; novi
meliorisq; testamenti. vid. Heb. 9:12.14.20.22. Apage diram Gen-
tilium *κακοζηλίαν*, qui solemniora quæcunq; pacta adhibitione san-
guinis quoq; firmare solebant, vel fœdare:

Armati Jovis ante aram paterasq; tenentes

Stabant, & cæsa jungebant fœdera porca. Virg.

Sed in mero pecuino cruore non subsistere Gentiles sancituri no-
va pacta sua, sed eo (rarius tamen) excefferunt, ut, in fœderibus
suis stabiliendis, interdum cruoris humani libatione lascivire non
fuerint veriti. Ex *Herodoto* adducit *Dougtaus*: Ineunt (Lydi ac
Medi) fœdera, cum cætera ritu Græcorum, tum secando brachia,
usq; dum sanguis profluat, ac mutuo illum delingendo. l.1. c.74.
& rursus l.3. c.8. Servant fidem Arabes inter homines ut quam ma-
ximè, quam in hunc modum dant. Quoties fœdus inire volunt,
alius quidam medius inter utrosq; stans, acuto lapide ferit vo-
lam, deinde inungit eo sanguine septem lapides in medio posi-
tas. Ita ne ipsa quidem fœdera incruenta sunt. Sauciant se, qui
paciscuntur, exemptumq; sanguinem ubi permiscuère, degustant;
id putant mansuræ fidei pignus certissimum, uti Pomp. Mela de
Scythis testatur l.2. c.1. quod summum nefas in conjuratione Ca-
tilinaria

tilinaria Florus quoq; allegat, quod conjurati sanguinem humanum in pateris circumlatum biberint. l.4. c.1. Nos potius observasse juvat, quando hic sanguis *fœderis* appellatur, quin *fœdus* ipsum, eandem plane phrasin esse, qua poculum N.T. in S.Cœnæ institutione dicitur *vel* sanguis Novi Testamenti Matth.26:28. *vel* Novum Testamentum ipsum Luc.22:20. 1.Cor.11:25. unde facile colligere est, quis sensus emergat, si *panis corpus Christi* pari phrasologia *vocatur*; signum nimirum sortitur nomen rei signatæ, uti in omni sacramento omnis temporis obtinet, absq; tamen *μετετέτακται* *vel* *συντετέτακται*.

IX. Proceres interioris divinæ admissionis erant *vel* primarii, *vel* secundarii ordinis. *Primas* tenebat *Moses*, constitutus & utrinq; valens Mediator, Os Dei ad populum, & populi vicissim ad Deum; cætera servus Dei fidelis in universa ejus domo, in testimonium *τῶν λαληθησομένων* Heb.3:5. & *Aaron* ejus Frater, vir legationibus ad Pharaonem in Ægypto, disertus quoq; lingua, miraculis item & commercio cum Deo insignis, futurus Pontifex; una cum *Nadab* & *Abihu*, filiis hujus natu majoribus, quibus sine dubio summum Sacerdotium generationis ordine post parentis facta fuisset collatum, nisi præmatura morte, dum circa inauguralia muneris sui publici incuriose satis versarentur, peregrinum in sanctuarium inferentes ignem, abrepti fuissent. Lev.10:1.2. unde liquet; tametsi quis divinis excellat visionibus, id tamen à subsequentibus peccatis & acerbioribus afflictionibus immunem præstare neminem posse.

X. *Sequioris* ordinis Præstitites erant *septuaginta è Senioribus Israël*, quales auctoritate graves regiminis socios *Moses* de consilio *Jethronis* assumserat. Ex.18:21.25. Postea prophetandi dono insigniendi Num.11:16.25. Hi repræsentabant universum populum. In numero forte non latet mysterium, nisi respici velimus ejus paritatem, quando *Israëlitæ* veniebant in Ægyptum Gen.46:27. Qui numerus dein in Synedrio Judaico, imo ab ipso *Servatore* in primis discipulis suis mittendis quoq; lectus fuit. Quamquam omnes hoc loco collati efficiunt numerum LXXIV. non coordinato *Josuah*, etiamsi præsentem, uti colligere est ex vs.13. Is enim non comparebat ut persona publica, pressius *vel* *Deum*,
A 4
vel

vel populum, vel se ipsum respiciens, sed ut Mosis minister, qui ceu apparitor ejus iussa exsequeretur.

XI. Omnes isti Optimates *adscendisse* dicuntur in montem, nempe *Sinai* vs. 16. qui & *Dei* vocatur vs. 13. Factum hoc juxta expressum Dei mandatum vs. 1. 2. ubi & ordo ejus adscensionis praescribitur. *Mosi* integra manebat soli proxima in verticem montis ad Deum & intima accessio; In medio monte substitere *Aaron*, *Nadab*, *Abihu* & LXX. Seniores, è longinquo adoraturi. Deniq; remansere ad pedem montis gregarii *Israëlitæ* reliqui, qui sepi-mento peculiari ab omni montis contactu, qui repentina morte luebatur, arcebantur. c. 19: 12. 21. Ita impuritas *Israëli* exprobrabatur, uni enim non licuit aq; prope ex Dei populo ad eum accedere, ac alteri, pro Dei solius beneplacito, aliter ac sub N. T. Heb. 4: 16. Emblemata si heic quaeratur, & juxta tres sacrarii V. T. partes iudicetur; *Moses* figurasse *Ecclesiam triumphantem*; Ubi *Deus* conspicitur, sicut est 1. Joh. 3: 1. *Aaronem* cum filiis suis, reliquisque Proceribus, *Ecclesiam invisibilem*, e meris electis constantem, conf. 1. Cor. 13: 12. Quæ *Christum* eminus, & in ænigmate quasi, adspicit, donec aliquando sit videndus facie ad faciem. *Populus* denique *Ecclesiam visibilem* in hac terra obambulantem, in qua paleæ triticum, piscesque putres sanos adhuc circumdant Matth. 13: 24. 47.

XII. Pergimus ad *visionem ipsam* cum circumstantiis bene notandis; *Videbant Deum Israelis*. Pro ratione objecti se quoque habet sensus, res spirituales corporeo haud licet subjicere oculo, mente autem cernere, discernere, intelligere, dijudicare, est. Joh. 4: 19. de tam abstracta & *speculativa* plane visione nostro loco sermonem esse, plerique autumant *Judæorum* Magistri. Enimvero ad istam tanto apparatu & externa παρατηρήσει, minime opus fuisse constat unicuique rerum attendenti, Neque *visio* plane corporea mechanica heic sufficere videtur; ut dum *Israëlitæ* jubebantur adspicere serpentem æneum Num. 21: 8. alia quin adhuc visionis species fuisse apparet *Prophetica*; quando ope phantasiæ objectum est *viris Dei* divini quidpiam, sive dormientibus in somno, sive vigilantibus interdium, ipsis corporis oculis. Quale quid evenire

evenire potuit Illustrioribus Visoribus, Jesaiæ, Ezechieli, Danieli, Hofeæ, Zachariæ, Johanni.

XIII. *Deus*, qui spiritus, adeoque ἀόρατος, est, nequit videri. Joh. 1: 18. 1. Tim. 6: 16. *Quem nullus hominum vidit, neque videre potest; Quod & Deus alia occasione Mosi significavit Exod. 33: 20. Non potest me homo videre & vivere*, nimirum respectu suæ essentiæ, quin etiam summæ Majestatis, quæ carni & sanguini est inaccessibleis. *At videri Deus potest*, quatenus lucida & illustria præsentia suæ signa Dominus iis ostendere voluit; quod & ipsum haud dedecet, præsertim si id fiat in rei maximi momenti indicium.

XIV. *Israëlis Deus appellatur, tum Patriarchæ, cui toties apparuit, & foedus cum ipso paternum avitumque repetiit, maxime quocum fuerat luctatus. cujus Goël assertor & liberator quoque fuit Gen. 48: 16. Tum illius posterorum, quibus nunc ἐν δυνάμει cœperat demonstrare, se esse Deum populi sui, educendo eum ex inimici terra; quod beneficium primus erat q. annulus eorum eventuum, qui porrigerent usque ad missionem magni seminis Abrahami, in quo benedicerentur omnes gentes terræ: quin illustribus hæctenus editis operibus, & quidem ultimo & palmario, latione legis, non sine apparatu plane divino, e cœlo q. prospexerat, Ps. 14. 2. se palpandum, videndum, gustandum, præbuerat. Act. 17: 27. Ps. 34: 9. idque modo tam singulari, ad Judæos quod attinet, quali non consuevit se patefacere reliquis gentibus. Psal. 147: fin.*

XV. Equidem protestatur Deus vehementer. Deut. 4: 15. *Cavebitis vobis ipsis valde, nam non animadvertistis ullam speciem, illo die, quo allocutus est vos Jehovah in Choreb e medio ignis; quando omni molimine idololatriæ per imagines obicem ponere vult, præsciens quam proclives deprehendantur omni ævo carni inhiantes homines ad simulacra sensus externos ferientia etiam in cultu sacro publico. Præterquam n. quod ab ipsa legislatione præcedente die jam facta, distinguenda sit hæc peculiaris apparitio, prout ibi quoque universus adstitit populus, heic autem propius ad Deum adducuntur soli Optimates; sufficit, volente ita Deo, visum esse præsentia & Majestate divina dignum symbolum: Quomodo alias distincte pedum injiceretur mentio? Sane vs. 16. seq. *Gloriæ Dei in monte habitantis, nubis etiam, imo vs. 17. Speciei Gloriæ Jehovæ, tanquam ignis consumentis, traditur memoria. Quod & Onkelos vult, qui loco Dei hic ponit Gloriam ejus; LXX, vero Interpp. εἶδον τὸν τόπον ἃ ἰσχύει ὁ Θεός**

ὁ Θεὸς τῶ Ἰσραὴλ, videbant locum, in quo stabat Deus Israel, ne Ethnicis parum æquis ludibrio essent.

XVI. Quid multis? Videndum hic, & quid obstat, quominus humana specie, se præbuit Filius Dei Angelus ille magni Consilii, qui verba legis edifferuerat Act. 7:30. Quem antiqui Judæorum Magistri sub nomine מַטְטָרוֹן vel שְׂכִינָה insignire plerumque, consueverunt; qui & multoties se patribus videndum præstitit, ceu redemptorem in medio Israëlitarum olim habitaturum ut in assumpta in personæ unitatem humanitate conspiceretur oculo ad oculum, vidente omni carne, os Jehovæ loquitur Jes. 40: 5. Cujus manifestationis Dei in carne præludium satis notabile fuit in hac ipsa apparitione. Negotium fœderale Sinaiticum nunc sortitum erat suam consummationem merito itaque prægustatio adjicitur Christi ἐνσωρώσεως, qui est finis totius legis, Rom. 10:4. Quæ omnibus suis umbris & rigoribus tamen mansit παιδάγωγος ad Christum, Gal. 3:24. Ut ideoque de veritate hujus rei constaret tanto certius, tum apud populum præsentem, tum posteros, testes idonei & omni exceptione majores merito accumulantur, ut redderetur Israël omnis temporis de veritate, nunquam intermoritura, tanto certior, non enim satis inculcari poterat capitalis illa veritas a. Legislatorem suum esse hominem Christum, Filium Dei, unicum inter Deum & homines Mediatorem. 1. Tim. 2:5. b. Ex emblemate Christi adeo vivido clavim possidebant in manibus felicissimam, qua omnia legis anigmata, etiam abstrusissima, in Mysterio nimirum redemptionis nostræ per sanguinem ejus, reserarent, qui enim in νομοθεσίᾳ fuerat, primus, est etiam ultimus c. Et quidem dum viderunt fulgore divino eminentem, procul dubio in humana specie, qui adeoque simul esset Deus Israelis, & שֵׁן בֶן אָדָם filius hominis Ez. 1:26. Dan. 7:13. Nulla enim alia stringens & præcellens dari potest ratio, nisi incarnatio τῶ λῶγος, quare heic ipsius pedes memorantur non secus ac dum tergum suum videre exhibuit Mosi, curatius ipsum, quam par erat, in faciem lustraturo. Exod. 33: 23.

XVII. Pedes stant super Opus lapidis, lateris, Sapphiri. Sapphirus inter pretiosissimos numerandus est lapides, vid. Exod. 28:19. & animadvertunt Interpp. esse vel cærulæi coloris cum interstitis punctulis aureis rutilantibus, vel albi splendidi que pellucen- tis, non secus ac in adamante, vel glacie candida, conf. Ruæus de gem. מְעֻשָׂה vel artefactum, politum, vel effectum denotat. Quiquid

Quicquid ejus sit, fundamentum, cui Deus innititur, purum & pretiosum seque deceas esse debet, uti thronus Filii hominis Ez. 1:26. nominatur *Sapphirus*. sive *Jaspis*, aut ut aliis placet *Carbunculus*; tunc indicaretur pretiositas sanguinis Christi, cui superstructum est universæ Ecclesiæ ædificium cujus γνήσιος status totus quantum cælestis est puritate λαμπροτάτη coruscans. *Sponsa tota gloriosa est intus* Ps. 45:14. Quanquam adhuc in tentoriis Kedar huc illuc ambulare debeat in hisce terris, & hætenus nigra sit, manet tamen decora ut aula Salomonis Cant. 1:5. Huc de Ecclesia N. T. imprimis referri debet excellens testimonium, & promissio: *Ecce ego collocaturus sum cum ornamento lapides tuos, & fundaturus te Sapphiris* Jes. 54:11. Et congruit Ecclesiæ militantis scabelli Dei encomium, super quo stat & quiescit conf. Ps. 99:5. 110:1. Thren. 2:1.

XVIII. Opus lateritium significat partim rei ornatum summumque decus, Thren. 4:1. 7. Cogitetur, quanta ejus sit Majestas, qui stat in Sapphirino pavimento, sive singuli lapides pretiosi considerentur tantæ magnitudinis sapphiri, ac lateres, sive tota planities, cui institit Schechina, occurrat velut ex unico tantum composita sapphiro superficies lateritio ornata tabulata & subducta; partim (quo tendunt Judæi) revocatur hisce Primatibus Israelitarum in memoriam misera servitus, qua tantum non oppressus fuerat populus in Ergastulo Ægypti, non sine justo dolore & acerbissimis suspiriis, vexatus circa parandos & coquendos lateres, Ex. 1:14. 5:16. 19. Ex ista tyrannide nunc erant omnes liberati, ut nullo distenti impedimento tanto operarentur jucundius in cælesti Legis occupatione, ejusque mysteriorum & mirabilium inspectione Ps. 119:18. juxta quæ thronus divinæ gloriæ aliquando erigendus foret inter ipsos, quum δ λόγος caro factus sit in ipsis velut ἐν σκηνῇ ἡδικῶ habitaturus Joh. 1:14. Ita lutum Ægypticum permutatum esset cum cælestibus unionibus, vid. Fag. in h. l. Solum quoque suo incessore dignum requirebatur.

XIX. Sed omnis nitor & splendor necdum descriptus est, additur enim: *Et velut species, substantia, cæli præ puritate*: Simplissimus videtur esse sensus nec ingenio humano excogitari, nec sermone exponi posse exprimere Dei thronum, majestate & gloria fulgidum. *אור* à variis varie redditur; quidam colorem, vel aspectum, alii substantiam, vel essentiam, vel corpus, alii robur, vertunt. Quid obstat, quo minus sumatur pro cælo ipso, genuino;

tunc רָטַל non tam esset quoad puritatem, nescio n. an רָטַל sic apud Hebr. veniat; sed sumeretur pro parte, eo sensu; cœlum ipsum, qua parte splendidum est, imo mera puritas; רָטַל vero tum esset veritatis, eo modo; *utpote* quod esset cœlum ipsum. Quis satis mirari potest amœnitatem cœli, ubi, qua patet, sudum est, pulsus nebulis nubibusque, *sive* interdiu, *sive* noctu, *vel* mane, *vel* vesperi Ps. 8: 4. 19: 1. 2. Si vero externa cœli decora contemplari tanti est, quid erit pone istud velum adspicere interiorem cœli tertii Gloriam cum satietate gaudii ad dextram Dei in æternum Ps. 16: 11. Merito exclamamus: Quam multa est bonitas illa, Jehovah, quam recondis reverentibus te? Ps. 31: 20. Imo quam pura demum est ipsa Dei beatissimi sanctitas, qui inaccessible lucem inhabitat, si coram illa præ humilitate & verecundia facies pedesque obvolvunt Seraphim Jes. 6: 2. ubi eadem Christi gloria à Propheta visa fuit; quinimo si Angelis suis diffidit, Job. 4: 18. & ipsi cœli cum stellis ejus in conspectu Dei *impuri* sunt? c. 15: 15. 25: 1.

XX. Cœlum alioqui *Serenum* gratiæ favorisque in Deo emblemata est, cujus tamen exercitiū non datur, nisi ea methodo, ut purus maneat Ps. 51: 6. Sicut ex opposito contra fœdis fragos iram suam denuntiare solet, si cœlum nubibus tenebricosis & nigrificantibus, quæ fulgura & tonitrua portendunt, obductum sit. Requiritur puritas in iis, qui communionem cum Deo puro colere sustinent Ps. 18: 12. 26. 27. 1. Joh. 3: 2. conf. Jer. 4: 28. Zeph. 1: 15.

XXI. Residui sunt hujus divinæ apparitionis *Effectus*, tum à Dei, tum Procerum parte. Deus conspectus solemniter *non extendit tamen manum suam in selectos Israël.* Proceres populi novo ornantur titulo: audiunt enim $\text{בְּרִיָּה$ electi, præcellentes, optimates; Electitii (conf. vers. Gr. $\delta\iota\ \text{Ἐπιλεκτοί}$) egregii, qui ad negotium adeo inclutum valebant coram universo populo, & placebant in primis Deo, uti ex hujus patet eorum causa dato expresso mandato. vs. 1. 2. 9. Recesserant quidem aliquatenus à reliquo populo, sed tanto propius ad Deum accesserant, *laterales* quasi ejus facti, בְּרִיָּה enim notat *apud, juxta*, Gen. 41: 3. Neh. 2: 6. Neque tamen Deus ad eos *misit manum* suam. Varie à variis hæc phrasis accipitur: Venit enim in sacris *vel* beneficii, *vel* pœnæ sensu. In genere iudicat translationem, communicationem; *sive* sit beneficii, ut in antiquissimo *impositionis manuum* ritu apparet, quique obtinuit *vel* in solemnioribus benedictionibus, ut Gen. 48: 14. ubi eadem Hebr. phrasis est cum nostra; *vel* inaugurationibus ad munus publicum

cum

cum, quo forsan non insulse plane Hebræi Doctores referunt id, quod ipsi accidit Mosi, à Dei manu tecto & inaugurato vid. Ex. 33: 22. de Josua successore Mosi ab hoc ipso renuntiando clara est historia, Num. 27: 18. Sive gravissimi Dei judicii sit indicium; conf. Ps. 32: 4. Hebr. 10: 31. sic quinquies *extensionis manus* Dei in ira mentio est, ubi tamen aliud verbum adhibetur Jes. capp. 9. & 10. Plura qui desiderat cumulata loca, adeat Pol. Crit. ad h. l.

XXII. *Fagii*, cuncta comprehendentis, verbis uti lubet: Quid sibi velit iste Hebraismus, expressit Paraphrastes: *Mittere enim manum super aliquem* Hebraicum schema est, pro *ledere, punire & damnare, inferre*, quem sensum hic reddidit Chaldæus. Innuitur ergo Principes Israël nihil damni accepisse ex eo, quod Deum viderunt, partem scilicet Majestatis & gloriæ illius, cum tamen scriptum sit; *non videbit me homo, & vivet*. Alii vero per *missionem manus* intelligunt afflatum Spiritus prophetici, quasi scilicet Dominus Principes Israël non tam largiter afflaverit sicut Mosen, qui tantam vim Dei in se sentiebat, ut per XL. dies & noctes nihil ederet & biberet: illi vero adhuc opus habebant cibo corporali, unde mox additur; *viderunt Deum, & comederunt ac biberunt*. Sed prior sententia probabilior apparet, quod scilicet ex visione illa divina nihil læsi fuerint. cæt. Consentiunt hic rursus Græci: *ὁ δὲ θεὸς οὐκ ἐδέξατο αὐτοὺς, i. e. nemo eorum desideratus est*. Accesserant enim, non ex affectata quadam prurigine, sed impetrata optima Dei accersentis ipsos venia, neque nitebantur in vetitum Ex. 19: 20. Additur tamen, Deum ipsis pepercisse, non sine ratione, recepta enim eorum temporum opinio erat, visa ejusmodi divina non obtingere nisi protinus morientibus.

XXIII. Agmen claudit *Convivium*. Repetitur præcedanea *Dei ipsius contemplatio*, ut magnitudo eventus pelluceat, dum nihilo secius *comederunt ac biberunt* nostri Optimates. Hoc loco Interpretes rursus in Commentariis suis abeunt in diversa, lectu tamen jucunda plerâque. Sunt, qui *epulum* plane spirituale seu *mentale*, sine externis ferculis apposis, intelligendum esse ajunt. Sensus huc reddit: Superfusus fuisse Primates hos tanta animi lætitia, ac si lautissimo excepti fuissent epulo & intime refocillati. Sic in Elle schem. Rab. *מלמד שדנו עניה מן השכינה* *pascebant oculos suos Schechina*, (Gloria Dei) ita habuissent prælibationem cœlestis beatitudinis, quam Scriptura sub *visionis Dei* schemate describere solet, 1. Cor. 13: 12. Ps. 42: 3. Hæ sunt animæ dapes; contenti nimirum nostri fructu frutione causæ primæ, uti corpus acquiescit in secundis; vide-

unt ad saturitatem usque, conf. Luc. 22:30. *Ad me quod attinet, diceret Hieropsaltes, videbo in iustitia vultum tuum, satiabor, cum expergiscar, similitudine tua.* Pl. 17:15. Alii tamen in externo quodam subsistere malunt convivio, non uno tamen modo: Quidam enim levitatis carbone notandos putant Proceres, quod, tam subito excellentissima visione Dei posthabita, se ad epulandum converterint, uti plurimi, proh dolor! agunt inter homines. Quidam arbitrantur, distincte tantum innui, quod manserint in vivis, incolumesq; cum alias, ut dictum, cum visionibus divinis mors subitanea conjuncta esse vulgo crederetur. Jud. 13:22. Quidam differentiam inter Mosen, sine cibo & potu per 40. dies in monte cum Deo commoratum, vivum tamen reducem, & hosce Proceres eo indigitari rentur, quod hi non sine esca potuque materiali vitam producere potuerint. Nos eum illis facimus, qui convivium hoc constitisse statuunt de sacrificiis v. 5. commemoratis. Chald. sic exponit: *videbant Dei Gloriam, & letabantur in suis SACRIFICIIS, quæ accepta erant, quasi comedissent & bibissent.* Præstruimus, sanctionem nunc fieri Sinaïtici Fœderis, gratia quidem, si offerentis Dei partes; in operum vero desinentis, si præposteram populi, universim considerati, adstipulationem, spectes vid. Deut. 5:3. & 34. Cumque certissimum sit, morem post pacta solemnius iusta adhibendi convivii jam tum, imo antiquius, obtinuisse conf. Gen. 26:30. c. 31:54. prout & similis epuli fœderalis datur mentio Jos. 9:14. 2. Sam. 3:20. Id quod apud Gentes quoque reliquas usu antiquissimo receptum esse, multis docet supra laudatus Stuckins l. c. Adde, sis, aram Dei esse quasi mensam, ex qua qui comedit, nonne dapibus Dei ipsius cibatur? Si que tandem erat arctissimæ necessitudinis nota, quando sacerdos de sua portione sacrificali alios exhilararet, vid. 1. Sam. 1:4. velut Principes suos Fœderatos nos plerumque sua honorare solent mensa. Quid obest, quo minus Deus, ad ratificandum Fœdus Sinaïticum, condescenderit, suoque epulo populi selectiores exceperit? Ita, ni fallor, lucem fœneramur loco 1. Cor. 10:18. *ἵνα οἱ ἐθνογενεῖς τὰς θυσίας καὶ νομοὶ τῆς θυσιαγενεῖς εἶσι.* Ipsi Ethnici Scriptores huc sæpenumero alludunt; uti Efformatus Plauti Amphitruo: III, III, 13. *Tu gubernatorem à navi huc evoca Blepharonem, ut re divina facta mecum prandeat.* Trachalio apud eundem: *Quam mox coctum est prandium?* AM. *Quod prandium, obsecro Te?* TR. *Nempe rem divinam facitis hic.* Rud. II, III, 12. 13. Sic Cic. Sacrificia Epularia vocat. de Orat. Plura qui hanc in rem desiderat, adeat Saubert, de Sacrif. c. XXVI, XXIV,

XXIV. Quod de sacrificiis comederint Proceres foederalibus, non est, quod multum ambigamus, sed quid biberint, non adeo clare quoque expressum. Aperta vero res est, libamina in Lege olim facta fuisse ex oleo & vino, quæ inter **לחם** Eucharistica pertinebant, quorum supra γ . 4. datur mentio, vid Ex. 29: 40. Cur itaque non meri quædam portio cesserit quoque ad hoc foederale epulum? conf. 2. Sam. 6: 18-19. Persas, Germanos, Nasamonos, (Lybiæ populum) Thraces & Ægyptios compotationibus tali ansa indulgisse, testatur Herodotus & Alex. ab Alex. lib. 5. c. 2. Qui abusus ut nam ad nauseam & luxum intolerabilem usque apud Germanos haud superesset atque cresceret. Caneret Poëtarum facile Princeps:

Certatim instaurant epulas, atque omine magno

Crateras læti statuunt & vina coronant.

Idem: Hæc sacris sedes epulis; hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considerare mensis.

Alibi: Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant
Vescitur Æneas, simul & Trojana juventus.

Hoc interim extra omnem dubitationis aleam positum est, Proceres Israëlitarum nil bibisse ex eo sanguine, qui exceptus quidem sollicitè, sed & effusus iterum iuxta jussum divinum fuerat. γ . 6. 8. Circa Interdictum quippe sanguinis, prout jam abs Noachi ævo invaluerat Gen. 9: 4. maximopere notandum est, noluisse Deum sanguinem in usu domestico adhibendum, ut tanto curatius ab eo sibi caverent Israëlità in cultu publico, Lev. 3: 17. Deut. 12: 16. unde Dei abominatio à tali potu perspicua est Ps. 50: 13.

XXV. Hac occasione nascitur quæstio, utrum adhibitio & usurpatio sanguinis eadem lege adhuc valeat nunc sub N. T. œconomia? Cui rei elucidandæ apponere libet sequentia porismata. I. Dum sanguis bestię ejus anima nuncupatur, qui tamen olim plane vetitus erat, & publice, & privatim, præsertim in sacrificiis; patet, bestię animam, quæ aquæ instar ad pedem aræ effundenda erat, ad veram redemptionem & satisfactionem pro anima hominis (toto pretiosiore mundo Matth. 16: 26.) non sufficere. II. Quod editur & bibitur, in partem nostri secedit; patet rursus ex interdicto sanguinis pecuini, illius fruitionem veram vitam, in æternum duraturam, conciliare minime posse. Jes. 1: 11. sq. III. Quum vero, ad lytron pro peccatore acquirendum, Sanguis Dei requireretur Act. 20: 28. obvium evadit, solo Filii Dei sanguine purgari nos ab omni peccato. 1. Jo. 1: 7. in quo habemus τὴν ἀπολύτωσησιν. Col. 1: 14. IV. Illum sanguinem N. T. contra omne jus V. T. bibere tenentur omnes, vitam æternam adepturi; quo fecit Christi obtestatio Joh. 6: 53: 54: 55: 56. & imprimis Institutio S. Cœnæ circa calicem. Matth. 26: 27: 28. Luc. 22: 29. 2. Cor. 11. 23. V. Quod bibitur, cum eo unimur archissime, sic cum Christi sanguine unitos nos esse oportet tenerrime, cujus valore justificamur & sanctificamur unice. Apoc. 1: 5. c. 5: 9. 7: 14. 12: 11. VI. Sine fide id fieri nequit. Rom. 3: 25. cap. 14: fin. VII. Ad usum quotidianum sanguinis quod abinet, eum sub N. T. liberum asserimus. Tit. 1: 15. VIII. Statutum vero Act. 15: 20. huic non ponit obicem libertati, utpote datum, cum Lex præceptorum in placitis, ceu Maritus, quocum Judæi olim erant conjuges, mortuus quidem Rom. 7: 1-4. usurpato tamen cæremoniarum choragio, Templo (Act. 21: 26.) necdum sepultus erat; stabat quippe cadaver, honestum tamen, super

super terram inde sã Morte Christi, donec per πανολεψίαν solemnè ritu, quod executioni mandarunt Romani, cõcremaretur.

XXVI. S. Cœnam celebrantibus varia hic consideranda ob oculos fidei poni possent. Paucula decerpimus: I. Quanta suavitas, ita Deo reddi familiarem, uti hi LXXIV. Sic que montem Jehovæ conscendere? Ps. 24; 3. Hoc cœlum in terra est. (*Apage nenas & gerras Spinozisticas Leenthoffii maleferiati*) Rident quidem Ευπαίχται has Christi revelationes (Joh. 14: 21.) sed suo se, ceu sorex, produnt indicio; ad tales scilicet porcos has nequaquam pertinere Margaritas. Matth. 7: 6. II. Ubi Deus habitat, fundamentum oportet esse sapphirinum, solidum, contiguum, collustratum, pretiosum, sine nubibus nebulisque vanitatis & cupiditatum carnis. III. Christi communitio optima & opiparo prævalere debet convivio. Rebus mundanis feriis ludicrisque dediti cibi potusque usu carere, quam desinere, malunt; Christi instinctus ita in faciunda Patris voluntate est comparatus Joh. 3: 34. IV. Si denique mortis ac æternitatis mons conscendendus erit, nil optabitur vehementius, ac Dei Gloriam vidisse, præsertim in gratiæ negotio Joh. 17: 1. & tum tegi sedentis in throno umbraculo Ap. 7: 15. Ac porrecta Christi manu in Arcam cœlestem, columbæ Noachicæ instar, colligi Gen. 8: 11. Tunc V. consummate omnes καταπερζόμενοι relecta facie gloriam Domini, in eandem imaginem transformabimur ex gloria in gloriam, sicut à Spiritu Domino 2. Cor. 3: 18. Memoriam comparavit mirabilibus, suis, gratiosus & misericors Jehovah. Escam dedit timentibus se, recordatus in æternum Fœderis sui. Vim operum suorum indicavit populo suo, dando eis possessionem Gentium. Psal. 111: 4. 5. 6. Tantum est.

COROLLARIA, RESPONDENTIS.

- I. Historia Paradisi non in Allegoriam mutanda est.
- II. Paradisum non collocatum fuisse in ista parte terræ ubi Tigris & Euphrates in unum confluunt, posteaque rursum in duos separantur rivos, sed in ista parte Armenia, quæ sita est inter Origines Phasis, Araxis, Tigridis & Euphratis probamus.
- III. Arbor scientiæ boni & mali non demum ita post lapsum nominata est.
- IV. Vero simile est Diabolum ad seducendam Evam, tale Organon, quo Angeli protoplastis comparere consueverant, assumpsisse.
- V. Passio Christi fuit satisfactoria.
- VI. Sola fide justificamur coram Deo.
- VII. Fides in Electis nunquam penitus extinguitur.
- VIII. Fide manducandus est Christus, non vero carnali ore.
- IX. Transubstantiationis dogma scripturam atque sanam rationem evertit.
- X. Loco Gen. 1: 26. Deus nec Angelos, nec terram, nec secundum Magnatum consuetudinem loquitur, sed. S.S. Trinitatis personæ se invicem alloquuntur.
- XI. Non est contra textus συνέχειν si in loco I. Cor. 5: 13. verbum ἐξείρε non redatur pertollite sed tollet.
- XII. Christus veram naturam humanam ex substantia Virginis assumpsit.
- XIII. πορνεία Pontificiorum sacrilegium est.
- XIV. Hostia in Missa summa adoratio non fit sine idololatria horrenda.
- XV. Mortis terminus modusque unicuique Homini à DEO peremptoriè definitus est.

FINIS.

Coll. diss. A. 58, misc. 61